

SALUB. FACULTATIS PARISIENSIS. 229  
poret ad siccitatem, & obtinebis Nitrum Fixatum: quod quidem sal in cellâ vinariâ liquatum, colliquefcit in humorem, qui filtratus Glauberi *Alkaest* dicitur.

### NITRUM EX TARTARO FIXUM.

**Rx.** Nitri depurati, ana  
Tartari crudi pulveratorum & exsiccatorem, quantum volueris.  
Misce in mortario ferreo. Materiam accende carbone candente. Factâ detonatione massam solve in  
Aquæ communis, quantitate sufficienti.  
Filtrâ, vaporet ad siccitatem; idque in cellâ liquatum Helmontii *Alkaest* esse perhibent.

### LAPIS CAUSTICUS.

**Rx.** Cinerum clavellatorum, libras duas.  
Calcis vivæ, libram unam.  
Mitte in vas idoneum. Paulatim affunde  
Aquæ ferventis, libras sexdecim.  
Fiat lixivium. Cola per chartam emporeticam fultam linteo. Colatura vase æneo excepta vaporet igne aperto ad siccitatem. Calcina in crucibulo, donec in fluorem oleaginosum abeat. Tum massa in patinam vel marmor calidum effusa, lentescens adhuc in frustula secetur; diligenter in vase vitreo ritè obturato & loco sicco reponatur.

### SALIA LIXIVALIA.

**Rx.** Herbarum virentium & maturarum cum stipitibus, quantum volueris.  
Comburantur in cineres; ex iis ad albedinem calcinatis fiat lixivium per horas viginti-quatuor digerendum. Filtrâ, vaporet ad siccitatem. Solve ex aquâ purâ. Filtrâ, vaporet iterùm ad siccitatem; sic sal magis nitet.

F f iij